



Universitätsbibliothek Paderborn

Unius Necessarii pars ...

Ubi agitur De Cognitione Dei - Quanti nimirum momenti illa fit, & quibus
praesidiis obtineri ab unoqueque hominum possit

Rogacci, Benedetto

Pragae, 1721

Caput XXIV. De eadem charitate, & beneficentia Dei erga nos, secundum
reliquas duas dimensiones, altitudinem nimirum, & profunditatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54487](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54487)

CAPUT XXIV.

De eadem charitate, & beneficentia, secundum reliquas duas dimensiones, altitudinem nimirum, & profunditatem.

Ergamus jam ostendere, quàm non modò longa ob diurnitatem temporis, & lata ob beneficiorum omnis generis copiam, vetùm etiam sublimis ob donorum suorum altitudinem eadem DEI erga homines charitas sit. Quò loci erigenda nobis super omnem naturam mens est, quemadmodum supra omnem ejus sphæram consurgunt duo illa exaggeratissima bona, quæ, præter jam commemorata in præcedenti capite, ab ea accepimus, gratia nempe sanctificans, & gloria cælestis: Bona certè adeò incomparabilis pretii, ut præ illis, quidquid hactenus diximus, pene in nihilum abeat. Quare doctus nostri sæculi Scriptor sapienter observat, in donis naturalibus DEUM attendisse, *quid nos deceat accipere*; in supernaturalibus verò, *quid se deceat dare.* (*Nic. Pallav. de excel. DEI p. 2. L. 4. c. 7.*) addens in primis

iis singulari illum quidem misericordiâ usum erga nos esse, quibus maximè necessaria providit: at nequaquam, ut in hisce posterioribus propriū liberalitatis specimen edidisse. Omne siquidem esse creatum, cujus limitibus naturalia continentur DEI beneficia, cum infinito amplioribus bonis collatum, quæ à divina omnipotentia erogari possunt, incomparabiliter minor res est, quàm numulus æreus ad opulentissimi Regis thesauros. Ac proinde, ceu Regum nullus mereretur liberalis vocari, quia duos, tresve numos æreos largitus mendico esset; sic neque, quòd DEUS ex infinito suæ omnipotentix ærario naturale nostrum, & mundi esse, nobis largiendum protulerit, satis est ad promerendam liberalis DEI gloriam: quam cæteroqui optimo ei jure promerentur supernaturalia, impertitæ nempe nobis gratiæ, gloriæque dona: dona nimirum summopere æstimanda, non pro sola accipientium indigentia, & utilitate, sed pro dantis etiam magnitudine, atque opulentia. Cùm in his DEUS nobis largiatur, & nostrum bonum faciat se ipsum: illam nempe *mercedem magnam nimis*, (*Genes. c. 15.*) qua nullam vel ipse, infinite licèt bonus, dives, & potens, dare potest majorem. Præterquam quòd perspi-

cuum cuique fit, ad veræ, propriæque liberalitatis laudem non sufficere, quòd res aliqua commodetur ad tempus, sed perpetuam illius donationem requiri: adeò ut rem accipiens legitimum in eam jus acquirat, neque hoc spoliari citra culpam suam possit. Atqui hoc videre est inter naturalia, & supernaturalia DEI beneficia discrimen. Cùm priora non nisi utenda nobis det, plenissimam interim facultatem retinens, eadem pro suo arbitratu auferendi. At, quantum ad altera publica sponcione certos nos fecit, neminem semel concessa illorum possessione exutum à se iri, qui talem pœnam capitali scelere non sit commertus. *Sinè pœnitentia enim sunt dona DEI,* (Ad Rom. II.) ut testatur Apostolus; erigamus itaque mentis aciem ad contemplandum, quàm supra omnem humanam æstimationem sint hæc beneficia, quantumque hinc sursum versus excrescat magnitudo bonitatis divinæ.

2. Tantùm certè excrescit, ut nihil ei superfit, quàm eniti altiùs possit. Huc siquidem spectat, quòd maximus cæli, terræque Imperator ex terrena, & servili nostra conditione ad eminentissimam nos extulerit amicorum suorum dignitatem; prout benignissima illa ejus verba declarant, *Jam non dicam vos servos,*

vos

vos autem dixi amicos: (Joan. c. 15.) Privilegium totam hominis naturam adeò supergrediens, ut à Philosophorum Principe impossibile creditum fit. (Ar. L. 8. Eth. c. 6. & L. 2. Magn. mor. c. 12.) Et tale procul dubio esset, ob infinitam duarum adeò inæqualium naturarum, humanæ nimirum, & divinæ distantiam: nisi quòd, qui nostro illud generi conferre destinaverat, modum etiam invenisset, quo posset conferri: novam ideo naturam, nempe gratiam sanctificantem, nobis infundens, per quam, teste D. Petro, (Ep. 2. c. 1.) *Efficeremur divinæ consortes naturæ*: mutantem ita statum, atque ordinem, amplius aliquid hominibus, atque Angelis evadentes, & prope modum desinentes jam esse entia creata. Præsertim quòd, neque contentus, ad suam nos amicitiam evehere; filios etiam sibi adoptavit, secundum illud D. Joannis effatum, (Ep. 1. c. 3.) *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii DEI nominemur, & simus.* Beneficium, supra quàm æstimari, aut dici potest, accipientibus honorificum: cum, qui antea nostræ humilitatis conscii, coram tremenda maximi nostri Conditoris, ac Domini majestate vix audebamus hiscere; addente nunc animos tam benigna adoptione, non vereamur,

fi.

filiorum ritu ad ipsum clamare: *Abba Pater.*
 (*Ad Rom. 8.*) Beneficium isthoc præter inæ-
 stimabilem suam dignitatem, paris etiam est
 utilitatis, ac fructûs, utpote quod certum no-
 bis jus confert, tanti Patris hæreditatem po-
 scendi, audiendique ab illo, (*Fili, omnia mea
 tua sunt. (Luc. 17.)*) Etenim, ut Apostolus
 scribit, (*Ad Rom. 8.*) *Si filii, & hæredes: hæ-
 redes quidem DEI, cohæredes autem Christi.* Un-
 de, si (quod fieri nullo modo potest) magnû
 illum Patrem mori contingeret, nos tanquam
 verissimi hæredes, ei succederemus in domi-
 natu super ceteras res omnes creatas, quasi
 novi harum Dii. Et hic certè supremus ille
 est, atque excellentissimus finis, ad quem o-
 mnia, sive in naturali, sive in supernaturali
 ordine præstita nobis à DEO, beneficia colli-
 mant. Neque alia profectò de causa nos ille
 è nihilo eduxit, rationis usu dotavit, tot vitæ
 commodis, & præfidiis instruxit, inque mun-
 di medio, tanquam illius possessores consti-
 tuit; nisi, ut recto hujusmodi munerum usu
 evaderemus illius amici, atque filii: & pera-
 ctis demum tutelæ annis, legitimoque pater-
 nam hæreditatem adeundi, tempore appulsò,
 è præfenti migraremus mortalitate ad immor-
 talem cum eo vitam in cælo ducendam, con-
 for-

fortes illius gloriæ, illius beatitudinis, illius Divinitatis, adeoque ipsi conformes; ut affirmari de nobis posset, *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes.* (Ps. 81.)

3. Jam verò quæ mens non humana duntaxat, sed vel Angelica immensissimam DEI in suis hisce tam extraordinariis muneribus liberalitatem, seu veriùs magnificentiam, dignè æstimaverit? si naturale hominis esse nobis tribuens beneficio nos affecit, cui par aliud accipere à nulla creatura possumus, quantò majori nos beneficio affecisse dicendus est, dum novum gratiæ, gloriæque esse nobis tribuit: esse altius humano, esse supra Angelicum, esse quasi divinum? Talis profectò, atque tanta beneficii hujus dignitas est; ut, ut quantumcunque immensa, & inexplebilis sit nostrorum cordium aviditas; nullum queat eo majus optare. Sique id libet palàm perspicere; fingamus, à DEO plenum nobis arbitrium in suam omnipotentiam permitti: adeò ut recipiat, se daturum poscentibus, non secundum definitam Assveri, & Herodis largitatem. (*Vide Esther c. 5. & Marci c. 6.*) *Etiam si dimidiam partem regni ejus petierimus, sed absque ullis limitibus, quidquid petere nobis veniat in mentem.* Age, quando felicitas nostra in manu

no-

nostra est, consulamus cogitationes nostras, intendamus curas, revocemus in memoriam, quidquid novimus boni, dilatemus vota, omni fræno verecundiæ petitiones solvamus. Quid postulabimus? Midæ manus? Herculis vires? sapientiam Salomonis? mundos Alexandri? felicitatem Adami nondum fontis? Postulemus sanè isthæc omnia, adjiciamúsque iis insuper annulos illos multimodæ, ac prodigiosæ virtutis, quorum possessione Timolaus Luciani socius (*Luc. Navis seu Vota*) felix sibi videbatur futurus: & quidquid præterea opum, deliciarum, honorúnque cadere in cogitationem potest. Fiétne unquam, ut in tanta bonorum amplitudine postulemus aliquid majus DEO, perfectáque illa beatitudine, quæ ex ipso, æterno, summóque bono in illius amicos, atque filios redundat? Adeò nunquam id fiet, ut nè ipsemet quidem, quantumcunque infiniti illius opulentix thesauri sint, quidquam ibi reperire, & nobis largiri queat melius. *Cùm sit omnipotens, plus dare non potest: cùm sit sapientissimus, plus dare nescit: cùm sit ditissimus, plus dare non habet.* Et tamen hoc munus, omnia nostra desideria, & postulata longissimè excedens, ante cujusquam preces, ab æterno ultro nobis præparavit, pergit-

gitque omnibus continenter offerre, unum-
quemque hominum ad suam amicitiam, ad sui
regni hæreditatem, ad suæ beatitudinis, glo-
riæque confortiũ amantissimè invitans. Quid
dicimus de hujusmodi liberalitate, ultra quam
nequit se extendere, quaque ad inopiam, ut
sic loquar, & ad majora donandi impotenti-
am redactus est omnium Creator, ac Domi-
nus? Ubinam sunt nostri affectus, nisi hinc to-
tos se effundunt? ubinam nostri sensus, nisi hinc
deficiunt, & tantorum prodigiorum admira-
tione obruuntur? Ego certè nescio, ubinam
sim, & quid me cogitare, aut scribere oportea-
t. Audiens quippe hæc vocabula, *Amicus*
DEI, *filius DEI*, *hæres DEI*, non possum, quin
memoriã repetam æternum, immensissimũ-
que illud esse, quod in hac prima mei operis
parte conatus sum utcunque adumbrare, &
cujus peculiaris quæque perfectio incompre-
hensibili sua magnitudine cogitantem, scriben-
tẽmque obstupescit, sacro horrore implevit,
ac penè extra me rapuit: vidẽsque altera ex
parte possessionem adeò incomparabilis boni
ultra, tamque facilè offerri non solis Angelis,
vel paucis quibusdam, & lectissimis hominum,
sed indiscriminatim, promiscuèque omnibus,
inter miræ adeò novitatis prodigia attonitus,
mei-

meique impos hæreo, & num somniam, aut somnia narrari audiam, propemodum dubito: magnamque vim mihi cogor inferre, ut, qua par est, firmitate illa credam, nec pro impossibilibus, & commentitiis rejiciam. O DEUS! plus quam liberalis, plus quam magnifice, plus quam optime. Quænam isthæc tanta est, non modò rerum tuarum, sed & tuimet prodigèntia? Itane igitur, nè rogari quidem expectas, quin ultronea largitione in omnium sinum profundas, quidquid præcipui, atque summi potes donare, tuum regnum, tuam perennem gloriam, te ipsum? Ignosce, Domine, si nimia istius tuæ benignitatis admiratio ad delirandum me quodammodo impellit. Siquidem venit penè mihi in mentem ex te sciscitari, num ante tanti muneris profusionem, satis tecum expenderis, tum inæstimabile illius pretium, tum contrariam eorum, quibus destinabatur, vilitatem. *Quid est homo, quia magnificas eum? Aut quid apponis erga eum cor tuum? (Job. 6. 7.)* Cujus ille meriti sit, nemo sanè meliùs novit, quàm tu ipse, qui eum è nihilo produxisti; animal terrenum, infirmum, ærumnosum, mortale. Et substantiæ hujusmodi, de qua nemiùm quàm amplè meritis videri poteras, si eam inter servitia tua
re-

recenseret, tantum amoris, & dignationis exhiberi par erat? ut tu, infinitæ majestatis DEUS, coram quo rerum omnis creaturarum universitas instar nihili est, arctissimo illam mutæ necessitudinis nexu tibi conjungeres, in filiorum tuorum jura adoptares, neque contentus, quidquid in mundo est sensibilibium rerum, ei subjecisse, te ipsum præterea bonum bonorum omnium, patrimonii locò eidem possidendum, ac fruendum donares? Et quò tandem progredi ulterius in diligendo, & orando me poteras, etsi totum mihi tuum esse, tuamque omnipotentiam, & Divinitatem deberes? Nihil certè pro tanto meo merito potuisses mihi amplius rependere. Et satis dignam ego vicem à me relatum iri tuæ huic tam immensæ largitati arbitrabor, si, quidquid sum, atque habeo, tuo honori devoveam? Parùm id remunerationis esset pro beneficio, quo affectus à te sum, quando in lucem è nihilo eductum me mihi donasti. Et justa erit responsio pro beneficio infinitè majori, quod tu primo adjecisti, donans mihi etiam te ipsū? O me omnis prorsus officii, atque juris immemorem, si, cùm nequeam, etiam me totum amori tuo impendens, par tibi reddere, neque hanc ipsam, me totum tuo amori impen-

A a a

den-

dendi, retribuere tibi curem, quamvis adeò imparem gratiam. *Quoniam nihil est, quod dignè DEO referre possimus, vè mihi, si non dilexero.* (Ambr. Lib. 6, in Luc.)

4. Neque verò hæc adeò benefica nostri in amicos, in filios, inque hæredes DEI cooptatio, quidquam æstimationis, & pretii deperdere apud æquos rerum æstimatores debet, respectu meriti atque operis, quod pro ea à nobis requiritur. Quia primò innumeris hominum, nempe infantibus, à suscepto baptismo ante rationis usum defunctis, gratuito profus munere tam gratia, quàm gloria tribuitur. Quod verò ad fideles jam adultos pertinet, quidquid ab iis exigitur, tam exiguum est ad infinitum, æternumque bonum, quod eo emittitur, ut multò minùs videri debeat, quàm teruntius ad regnum. Quapropter ceu Alexander Macedo, vel Augustus Cæsar, si pro totius imperii sui possessione nihil ultra teruntium exegissent, dicerentur donâsse illud potius, quàm vendidisse; *Sic momentaneum, & leve illud pretium, quod à nobis DEUS petit, ad æternum pondus cælestis suæ gloriæ assequendum, nil obstat, quin hæc possit merum donum vocari.* Addo præterea (nec quisquam, nisi inertissimus meæ huic propositioni fidem negabit)

bit) meliùs de nobis DEUM meruisse, dum beatitatem æternam bene agendo potiùs comparari, quàm gratuito prorsus munere haberi ab hominibus voluit: plùsque debere illi adultos, dum eam, quasi rectè factorum mercedem, quàm infantes, dum eandem, quasi purum donum accipiunt. Neque solùm, quòd plenior semper fit, dum merentibus retribuitur, quàm dum immunibus, & omnino feriatis donatur, sed etiam, quòd quævis bona per virtutem acquisita, plus honoris secum afferant, & jure magis proprio possideantur, ideòque gratiora etiam sint possessori; quàm si fortuitò, vel per alienam liberalitatem obtineantur: ceu experientia planissimè ostendit; cùm nemini non perspicuum sit, quantò chariorem eundem librum habeat, qui composuit, quàm qui ab authore dono accepit: quantòque pluris faciat gymnycorum certaminum præmium, qui suâ illud solertiâ, & virtute adeptus est, quàm qui citra ullam suam operam eodem potitur: & quàm demum generosis quibusque animis communis esse soleat antiqui illius Herois sensus, qui agebat: (Ov. L. 13. *Metam.*) *Nam, quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra voco.* Quare etiam quivis magnanimæ indolis vir ægre ferret, si sua in patria

hones, & magistratus omnibus ex æquo, & citra ullum discrimen, civibus deferrentur: mallétque eorum copiam, non nisi pro mensura operæ fieri, quam quilibet publicæ utilitati navâisset. Quamvis enim secundum priorem illam consuetudinem publicorum munerum particeps sinè ullo labore suo fieret; secundum alteram verò eorum consecutio aliquo ipsi impendio stare; hoc tamen qualecunque impendium abunde compensaretur partim majori voluptate, obtinendi bonum, non communi etiam ignavis, sed proprio strenuorum hominum modo; partim facultate, tantò ampliorem illius copiam adipiscendi, quantò major sua esset in eo promerendo sedulitas. Quod potissimùm tunc valet, cùm opera ad pleniorè præmii adeptionem necessaria non adeò laboriosa, arduique moliminis sunt, ut majorem deterrendi, quàm plenior ille fructus alliciendi vim habeant. En igitur mirè beneficam DEI artem in requirendo, ut cælestis sui regni hæreditatem aliquo promereremur virtutis conatu. Si velut infantibus eam nobis omni merito vacuis largiretur, possideremus illam quidem sinè ullo sumptu laboris, non tamen, ceu *coronam Justitiæ*, in qua aliquid nostræ laudis, virtutisque

que appareret: & possideremus præterea ita omnes æqualem, ut nemo posset in ea eminerre. Quid itaque egit, quò ad egregia patrandafacina nobis stimulos adderet, & ampliora cupientibus cælestis gloriæ incrementa, liberrimum ad quantoscunque in ea progressus faciendos campum recluderet? decrevit, quemadmodum à Gregorio Nazianzeno scribitur, (*Or. 1.*) *Ut salus nostra non esset purum suum beneficium, sed & nostrum meritum, quod nobis est dignius, & dulcius.* Verùm, quo simul imbecillitati humanæ consuleret, noluit tantum boni promerituros obligare, nisi ad nonnullas leges implendas, & numero paucas, & nostræ rationali naturæ quàm maximè consentaneas: adeò ut quivis possit facillimè divina illas ope factas tectas tueri, experimento suo discens, quàm verè in Euangelio, *jugum suave, & onus leve* appellentur. (*Mat. 11.*)

5. O amantissime DEUS! qui, cùm posses in cælestis regni tui pretium exigere plura, & plura asperrimorum laborum, & cruciatuum sæcula, quod ipsum pretium pro tam immensi, æternique boni consecutione vix oboli instar fuisset; nihil tamen exigis amplius, quàm ut justè, & secundùm rationem vivamus, abstinentes ab iis vitiorum illecebris, quas eti-

am nullo, nedum tanto præmio proposito debueramus ex ipsiusmet naturæ instinctu vitare: & si id usque ad ultimum diem paucis nempe annis præstemus, tuum nobis æternū, ac beatissimum regnum, quasi legitimam, debitamque mercedem promittis: nec ullam proinde aliam in supremo universalis iudicii die illius nobis concedendi causam, præter exigua hæc, & levissima merita afferes: palàm cælo, ac terrâ audientibus edicens, illud nobis tanquam strenuis victoribus æquo jure deberi. Quid de tua ista mirabili benignitate sentiendum, dicendumque mihi est? Gratias tibi immortales habeo, quòd tam immensum mihi bonum paraveris: & novas rursus gratias, quòd pro illius possessione tam parùm laboris, impendiique à me exigas: novaque demum gratias, quòd hanc adeò tenuem impensam justum esse profitearis, & par comparando illi pretium: perinde quasi in illius sortem me admitti debitæ potiùs mercedis solutio sit, quàm gratuiti doni largitio. Sed absit à me tantum impudentiæ, ut magnificè adeò de meis operibus sentiam, & secùs illa intuear, ac veluti minimam eorum obsequiorum partem, quæ tibi tanquam servus inutilis, & sexcentis obæratu nominibus debeo: cum-

cúmque tu supremi iudicii tempore (prout à bonitate tua spero) meis hisce tam exigui pretii operibus promissam cælestis gloriæ hæreditatem , quasi *coronam justitiæ* , rependes ; non alio illam nomine ego recipiam , quàm ceu gratuitum , & triplicis sanè generis donum : donum primò : quia thesaurum adeò inæstimabilem tam exiguo licitari , quid aliud , quàm donare est ? Donum secundò : quia illa ipsa opera , & merita , quæ pro illa tibi obtuli , pretium sunt à te mihi antea donatum , quibus idcirco *cum vita æterna redditur ; quid , nisi gratia pro gratia redditur ?* (*Aug. Enchyr. c. 107.*) Donum postremò , quia donationem sic transformare in solutionis debitæ speciem benignitatis ars est , quæ , unà cum beneficii pretio , obligationis onus accipienti congeminat.

6. Nequit igitur divina erga nos bonitas altiùs conscendere : quemadmodum nil largiri nobis potest sublimius infinito illo bono , quod in gratia sanctificante , & cælesti gloria largitur : ac proinde plusquam , *secundùm altitudinem cæli à terra corroboravit misericordiam suam super timentes se.* (*Ps. 102.*) Attende jam porrò , quàm mirum præterea sui specimen dederit , in nobis omni cura , atque studio in muneris tam excelsi consecutionem juvandis.

In quibus ejus curis ac studiis, ratione tum intimi amoris, unde prodierunt; tum inauditæ humilitatis, ad quam se ibi summus Rex gloriæ demisit, immensam charitatis, beneficentiæque illius profunditatem licet agnoscere.

7. Amor, quantumcunque eximius, ubi contemptum, atque injurias pro beneficiis recipit, non refrigescere modò solet, sed in iram quoque, ac furorem converti. Imò ipsamet illius magnitudo, ceu graviolem reddit malè respondentium culpam; sic validiores indignationis, & vindictæ suggerit causas. Quinam amor vehementior unquam eo fuit, quo DEUS hominem dignatus est, cooptando illum ultro in amicum, & filium, legitimumque indè ipsi jus ad cælestem suam gloriam dando? At quisnam itè alius amor iniquiori vice est repensus? Cùm homo post tam singularia benevolentia specimina, à cælesti Domino sibi exhibita, sinè ullo vel infinitæ illius majestatis respectu, vel benignitatis prodigiosissimæ sensu, prava excæcatus libidine, ab eo totum se averterit, illius amicitia, paternæque adoptioni nuntium remiserit, vilissimis quibusque bonis posteriorem eum duxerit, tamque demum contemptum, & injuriosè habuerit, quàm habere esset veritus nedum prin-

principem quempiam terrenū, sed vel quem-
cunque alium ex cognatis, & amicis mortali-
bus. Quidnam ergo expectandum hinc erat,
nisi, ut summus cæli Regnator animadverso,
perperam adeò ab hominibus incomparabili
beneficiæ suæ responderi, omnem pror-
sus amorem erga genus tam ingratum, tam re-
belle, tam perfidum ex animo abjiceret, di-
cens secum, justissima indignatione commo-
tus: Et quorsum ultra curæ habeam ignobiles
hos terræ vermiculos, qui me ità aspernantur,
& nihili faciunt? Nullis commendatos præ-
rogativis ac meritis, ex æterno nihili chao in
lucem eduxi, omnem hanc rerum spectabili-
um universitatem eorum gratiâ condidi, no-
bilissimis cæli spiritibus eorum tutelam man-
davi, ipsemet eos præsens fovere, & adjuva-
re nunquam destiti: neque his contentus, a-
micos mihi, atque filios elegi, præparans eis
in suprema cælestis mundi regione statum feli-
citatæ, qualem *oculus non vidit, nec auris audi-
vit*: ubi, suprâ etiam, quàm concipere animo
queant, gloriosi, & beati mecum perpetuò re-
gnarent: imò me ipsum, infinitam bonorum
summam, pro sua possessione, pro suo patri-
monio, pro suo regno haberent. Et quando
unquam viles adeò nihili, & terræ filii autem

essent tantum benignitatis sperare? Quidve ergo præstare amplius poteram, non ipsis dico, sed excellentissimæ omnium, quas seu creaverim, seu creare possim, naturæ? *Quid est, quod debui ultra facere, & non feci?* (Isaie 5.) Ipsi autem post tot beneficia, quorum vel centesima pars debuisset sufficere, ut mihi se totos in perpetuum consecrarent; amorem meum fastidiunt, majestatem flocci faciunt, méque infiniti pretii bonum, vanissimis quibusvis bonis, seu veriùs boni simulacris posthabent. *Filios enutrivì, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me.* (Is. c. I.) Ah perduelles, ah divini, humanique juris immemores, ah quovis bono indigni! Quid? putántne cum aliquo sui ordinis, atque loci rem sibi esse? aut fortè imaginantur, me, quòd eos in tantum amaverim, eorum amicitia indigere? Faxo sanè intelligant, quinam sim, & num absque iis queam vivere. Agedum: amici esse mihi abnuunt? nè sint. Hæreditatem meam pro nihilo habent? in perpetuum ea careant. Malunt dæmoni, capitalissimo hosti, & tyranno sævissimo obtemperare, quàm mihi, suo & naturâ Domino, & per gratuitam adoptionem parenti? Eja, quando ità libet, unà cum eo execrati, damnatíque abeant *in ignem æternum.*

Ità

Ità sanè videbantur omnia æquitatis jura exigere, ut DEUS sentiret, agerétque: & ità prorsus jam egerat cum innumeris Angelorū millibus, quos, licèt naturæ præstantiâ tantò superiores nobis, vix primùm contumaces suis imperiis expertus, è suorum amicorum albo deletit, à cælestis sui regni hæreditate in perpetuum exclusit, & irrevocabili damnatione sempiternis in orco suppliciiis addixit: *Angelis peccantibus non pepercit: sed rudentibus inferni detractos, in tartarum tradidit cruciandos.* (2. Pet. c. 2.)

8. At numquid ità in nos etiam consuluit, postquam simili contumaciâ ab ipso defecimus? Destititne ideo bene de nobis mereri? Hostilémne adversùs nos animum sumpsit? In odii, & ultionis affectus pristinum suum amorem mutavit? Nequaquam profectò, nequaquam. Flagrantior multò illius erga nos charitas erat, quàm ut ullis posset offensarum diluviis extingui. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* (Cant. 8.) Si causa, & incitamentum nos amandi nostra illi fuissent merita; næ his in malefacta abeuntibus, amor quoque in odium fuisset conversus. At, quoniam à sola naturali sua bonitate impulsus ad amandum fuerat; cum

cùm hæc nostrorum criminum causâ non potuisset ulla ex parte diminui, neque diminutus est illius amor. Visusque est ingratis, & malè de se meritis dicere, quod D. Bernardus inanis gloriæ stimulis, à quibus inter rectè operandum titillabatur, *Nec propter vos cæpi, nec propter vos desinam.* (Ribad, in vita.) Neque vestra me impulit bonitas, ut vobis benefacere inciperem; neque etiam vestra improbitas à continuanda erga vos beneficentia inhibebit. Atque hinc mansuetudo illa provenit, qua effrœnatam peccantium protervitatem diutissimè tolerat, nullas ferè de iis sumens, quamdiu in terris vivunt, externas, & sensibiles pœnas, quamvis illi tantò liberiùs novis assidue illum pergant, & gravissimis contumeliis laceßere: Mansuetudo, supra omnem sanè modum, & morem eximia, quæque admirabilis videri posset etiam in homine erga quemcunque alium hominem naturâ sibi parem, nec aut dominationi suæ subditum, aut suis beneficiis obstrictum. *Quis enim, cùm invenerit inimicum suum, dimittet eum in via bona?* (L. I. Reg. c. 24.) prout novitate rei attonitus exclamavit olim Saul, cùm eum David, quamvis ultionem de illo sumere potuisset, salvum, intactumque ex spelunca Engaddi abi-

re

re est passus. Neque solum inultas tamdiu
 finit esse injurias, quas à vilissimis mancipiis
 quotidianas, & fœdissimas accipit: verum to-
 to mortalis vitæ tempore non eis minus, quàm
 piis, & infontibus, lucem, spiritum, vires, ac
 reliquos omnes naturalis providentiæ suæ ef-
 fectus impertit: *Solem suum oriri faciens super
 bonos, & malos, & pluens super justos, & injustos.*
 (Matt. 5.) Et non desunt quidem ex fidelio-
 ribus illius famulis, qui, nimiam esse ejusmo-
 di benignitatem rati, ex illo clementiæ quasi
 somno ad justam perduellium ultionem, & di-
 vini honoris sui curam excitare illum stude-
 ant, occinentes ei, seu cum Psalmista, (Ps.
 93.) *Usquequo peccatores, Domine, usquequo pec-
 catores gloriabuntur? sive cum alio Vate, (Ha-
 bac. c. I.) Quare respicis super iniqua agentes, &
 taces?* Imò etiam quidquid rerum vitâ caren-
 tium in mundo est, fremere quodammodo an-
 te illum videtur, suumque ei ministerium cer-
 tatim offerre, ad temerarios supremæ maje-
 statis suæ contemptores funditus è rerum na-
 tura excindendos: non secus, ac fortissimus
 ille Davidis miles, cum audiret suum Regem
 à Semei maledictis proscindi, temperare sibi
 non potuit, quin vindictam anhelans clama-
 ret, (L. 2. Reg. c. 15.) *Quare maledicit canis*
 hic

hic mortuus Domino meo Regi? vadam, & amputabo caput ejus. Ità, *vadam*, vociferari videtur cælum, & abiens in fulmina, delebo iis genus tam impium. *Vadam*, videtur tellus excipere, &, sub pedibus eorum dehiscens, viva adhuc, & spirantia sepeliam perditissima capita. *Vadam*, succlamare similiter quodvis aliud elementum videtur, &, quidquid mihi est virium, in vindictam tui honoris expromens, purgabo orbem terrarum his monstris, quæ illum aspectu suo polluunt. *Creatori enim factura deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos.* (Sap. 16.) Et talia profectò ultionis exempla ederent saltèm Angeli, lectissima, & prætoriana, ut sic loquar, supremi Imperatoris cohors: nisi ille pietati suæ morem gerens, justos licèt eorum impetus frænaret, *cùmque habeat in potestate vindictam, mavult,* (ceu D. Cyprianus scribit) *diu tenere patientiam.* (De Bono Pat.) Si ergo in recensendis veræ charitatis proprietatibus, principem Apostolus patientiam nominat, dicens (Ad Cor. I. c. 18.) *Charitas patiens est;* arguat hinc quilibet, quanta in DEI animo dicenda sit fervere erga homines charitas, quando hujus instinctu tot, tamque enormia eorum delicta incredibili dissimulatione, ac lenitate fert, pe-
nè

nè quasi non videns. Ah immensus plùs ni-
miò existimari debet ille ardor, qui nulla seu
ventorum ex adverso flantium, seu pluviarum
assiduè ingruentiũ vi potuit, non dicam pror-
sus extingui, sed nec tantillũm tepefieri, ac di-
minui.

9. Parũm tamen fuit divinæ erga nos be-
nevolentix, tot inter nostra maleficia inte-
gram, vigentẽmque durare. Mira insuper
quadam, sèque digna antiperistasi, plus adhuc
virium ex his contrariis sumpfit, suosque ge-
minavit ardores, ubi nimium erat, quòd ii
non omnino deficerent. Siquidem, teste A-
postolo, (*Ad Rom. 5.*) *Ubi abundavit delictum,*
superabundavit gratia. Quæque vindictam à
DEO & supplicia provocabat improbitas; op-
positam prorsus majorem beneficiorum vi-
cem recepit. Quemadmodum sol iste visibi-
lis nequiquam desinit suis terram radiis fove-
re, quia hæc pro calore, quem ab eo accipit,
caliginosis vaporibus offuscare illius jubar
contendit: sed potiùs illos ipsos ab ingrata
exhalatos vapores in salubrem pluviam con-
vertit, & deorsum ad eandem fœcundandam
remittit; sic æternus, meliõrque sol, DEUS
pro eo, ut humano generi cælestis gratiæ suæ
munera subtraheret, pro quibus non aliud ab
eo

eo, nisi injuriarum pretium retulerat, ex iisdem illis injuriis occasionem desumpsit, nova ipsi, & majora beneficia præstandi, neque contentus, offensores suos, tametsi in prava voluntate obfirmatos, & nullum facientes se offendendi finem, quoad vivunt, inultos dimittere, modum excogitavit, quo possent ipsam quoque, ab interitu subeundam, sempiternæ mortis pœnam omnino evitare. At qualem modum? quàm inauditum, quàm nulli inopinabilem, quàm non admirandum duntaxat, sed & omni admiratione majorem? Audi illum, quæso, ut deinde mihi respondeas, possitne ulterius progredi amor: & num exaggeratiùs, quàm veriùs pronuntiatum sit à Chrysofostomo, scribente: (*Hom. 26. in Joa.*) *Neminem unquam pro filio tantam præ se tulisse charitatem, quantam pro servis, & servis ingratis DEUS.* Cùm videret, quamcunque suam offensam ejusmodi esse, ut infinitæ pravitatis suæ causâ infiniti valoris satisfactionem exigeret, neque idcirco seu ab homine reo, seu à quavis alia finitæ dignitatis persona posse ad plenum pro ea satisfieri; ipsemet, qui erat offensus, eam ultro luendam suscepit: voluitque ex cælesti suo folio in terras delabi, nostram humanitatem induere, suorum offen-

fo-

forum reatum insons subire, & infami affixus patibulo suis cruciatibus, suo sanguine, suaque morte, quod ab illis debebatur, persolvere.

10. O prodigia, omnem modum transgressa! quæque nec excogitari, nisi ab infinita sapientia, nec nisi ab infinita bonitate decerni, nec patrari, nisi ab infinita quivissent potentia. O amoris effectus, adeò humano quovis captu superiores, ut citra divinæ fidei lumen viderentur fabulæ, & somnia. *Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia.* (1. ad Cor. 1.) Ubinam es David, cui nimia bonitas visa est, quòd DEUS vel cogitaret de homine? *Quid est homo, quòd memor es ejus?* (Ps. 8.) Ubinam etiam tu Jobe, qui mirari satis non poteras, quòd eum vel obtutu suo dignaretur? *Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos?* (c. 14.) Quisnam hic, rogo, sensus est, cùm videatis, tantum illum Dominum non modò recordari hominis, sed se ipsum pene, infinitamque suam majestatem hominis gratiâ oblivisci: neque solùm aperire super eum oculos, sed omnes prætereacorporis à se assumpti venas, ad eum suo sanguine expiandum recludere? *Quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat servus, exsolvit Dominus:*
 Bbb quod

quod committit homo, sustinet DEUS. (*Ans. in medit.*) Singulare prodigium id foret, si ex amore hominis fieret, uullo adhuc scelere obstructi: & non ultra omne prodigium erit, cum gratiâ hominis fiat nefarii, DEO injuriosi, & rebellis? Quisquâne ex nobis ausus esset, has DEO preces offerre: Domine, tua me insectatur justitia, eò quòd capitali noxâ te offenderim, nec in promptu mihi idonea satisfactio est, qua eam possim placare. Obsecro te igitur, ut meas ipse partes suscipias, éque gloriæ tuæ folio descendens, ac mortali corpore indutus, quas ego pœnas debeo, tu illi persolvas? Næ impudens, temerarius, & communis sensûs expers ab omnibus diceretur, qui tali oratione compellaret, non dicam, DEUM infinitæ magnitudinis Dominum, indignè adeò à se offensum; sed vel terrenum Principem, cui integerrima semper fide famulatus esset, sed vel amicum, aut fratrem, cui nullam unquam vel levissimæ indignationis occasionem dedisset. Et tamen tanti hœc amoris specimen, quod nemini in mentem venisset ab eo postulare; suâ ipse sponte exhibuit abjectissimo, & perduelli mancipio. Morti se offerre pro amico, pari, vel superiore, ultima censetur charitatis, benevolentiaque
fi.

significatio : *majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* (Joann. c. 15.) Unde & nos, licet nihil non obsequii debeamus cælesti Domino; supremos tamen in eo amando attigisse nobis fines videmur, si non dubitemus pro ejus gloria mortem oppetere. Quam igitur ultra omnes fines, ac terminos dicendus est processisse DEI amor, dum pro servis, atque inimicis, quales nos eramus, id fecit, quo nihil fieri potest majus neque pro amico, neque pro patre, neque pro DEO? Singulare & eximium procul dubio fuit charitatis specimen à D. Paulino editum, cum, vindicaturus è captivitate inopis viduæ filium, non dubitavit, se illi succedaneum offerre, suæque servitutis pretio illius libertatem redimere. Sed quantula hæc videri charitas potest, si cum ea comparetur, quæ à DEO nobis exhibita est, dum redempturus à peccati, & dæmonis servitute tam impariæ sibi capita, & malè adeò de se merita semet ipsum ad subeundam mortem ipsis debitam obtulit? *Quid misericordius* (admirans hic exclamat D. Anselmus) *quid misericordius intelligi potest, quam quòd peccatori, tormentis æternis deputato, &, unde se redimat, non habenti, DEUS Pater dicit: accipe Unigenitum meum, & da pro*

te; ipse Filius: tolle me, & redime te? (L. 2 cur DEUS homo c. 20.) Circumfertur inter præcipua, & rarissima benevolentiae exempla vetus ille Urbini Panoplionis servus, qui, ut herum proscriptum, & ad necem conquistum servaret, vestem cum eo clam dimisso commutavit, illiusque speciem, quantum poterat, simulans, ab hostium satellitibus ea simulatione deceptis, tanquam si Urbinius ipse esset, se obtruncari permisit. (Val. Max. L. 6. c. 8.) At quantò rariùs, imò quàm ultra omnem raritatem est, quòd cæli, terræque Dominus formam servi acceperit, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo (Ad Philip. 2.) moriendi causâ pro homine, contemptissimo, ingratiſſimòque illius servo? Nulla occurrunt exempla, nullæ imagines suppetunt, quæ tam eximii amoris novitatem, non dicam pro merito exprimere, sed vel quomodolibet adumbrare valeant. Ad aliquam ejus speciem in mente formandam opus est fingere eventus inauditos, eventus incredibiles, eventus, quos nulla unquam seu viderit, seu visura sit dies. Finge igitur, vermiculum humi repentem imposito fors pede à te proteri, tibi que mox illum ità exanimem intuenti ab aliquo dici, libetne pharmacum nosse, quàm miræ, tam in-

du-

dubiæ virtutis ad vitam huic vermiculo reddendam? En illud, si adactò in pectus mucrone cor tibi trajicias, vividòque, & calenti sanguine animal mortuum conspergas, redivivum illico aspicias. Finge, inquam, id pharmaci genus te audire, nec fabulosum putare. Eritne, quæso, ut animum unquam inducas, resuscitandi vermis causâ illo uti? Erit, respondentem mihi videor audire, si fortè non minùs ego mentem, ac vermis vitam, perdiderim. Et quid tandem mea interest, vivatne, an mortuum jaceat tam ignobile infectum, ut redditurus ei vitam, lethale mihi vulnus velim infligere? Ità procul dubio responderes: non quia animalculum, de quo agitur, quidquam tibi molestiæ, aut noxæ attulisset, sed quia nativæ vilitatis suæ causâ nimiùm quàm indignum tanto tuo amore censeret. Multòque magis ità sentires, & loquereris, quando ageretur non de verme, cui nullas succensendi haberes causas; sed de aspide, quæ infesto te morfu appetiisset. Huic enim tantùm abest, ut restitutam tanto tuo impendio vitam velles, ut mortem potiùs, nisi illata pridem esset, conareris inferre. Quòd si nescio quo pacto tantùm erga illas animantes benevolentia ardorem, tantùmque eas è morte ex-

citandi studium conciperes, ut hac de causa nil dubitares sanguinem ultro, & vitam profunderi, nemo sanè id famâ acciperet, quin totus obstupesceret, quin fabulosa portenta sibi videretur audire, quin te ibi de tota mentis potestate dejectum, & tuum illud facinus inter extremas amoris insanias cõnumerandum putaret. At nõne id DEUS in redemptione hominis fecit? Erat hic præ infinita Conditoris sui dignitate incomparabiliter vilior, quàm præ tua rationali essentiâ sit abjectissimus quivis vermiculus: ultrâque hanc ignobilitatem naturæ nil veritus fuerat, venenatæ aspidis ritu DEUM ipsum laceßere. Et tamen supremus ille Dominus tanto amore prosequi hoc tam ignobile, & maleficum animal potuit, ut videns suâ culpâ extinctum jacere, nec posse, quo convenientius erat modo, citra suos cruciatus, suâque necem resurgere, quò vitam ei redonaret, ad quidvis duri, extremique pro eo perferendum volens, libens descenderit. Neque in hisce prodigiis audientis præ tantæ novitatis admiratione extranos rapimur, & sinè vocis, sensuumque usu attoniti hæremus? *Ecce, quomodo amabat eum, (Joa. II.) dixere olim, qui aderant, cum DEI filius lachrymaretur apud Lazari tumulum.*

lum. Cernat unusquisque eundem DEI filium in crucis patibulo non paucas ex oculis lachrymas, sed largos ex scissis immaniter venis profundentem sanguinis rivus; & secum mox dicat: *Ecce, quomodo amavit me?* vilem terræ filium, suum infimæ notæ, extremæque improbitatis mancipium. *O quomodo!* adverbium infinitæ emphasis, & cui rite explicando nulli pares queant esse eloquentiæ, atque ingenii conatus. Et quid possum hîc addere in tantæ bonitatis præconium? Parùm est nimiam, parùm incomparabilem, parùm prodigiosam, parùm omnibus majorem prodigiis vocare. Defunt voces, defunt figuræ, defunt sententiæ, quæ illius dignitati respondeant. Nisi sciremus cum pari esse sapientia conjunctam; cogeremur existimare phrenesim, ac delirium amoris. Nihil aliud hîc superest, nisi sensus omnes præ stupore amittere, nisi toto animo in mutui amoris affectus consumi, & post hæc demum fateri, quantoscunque stuporis excessus, quantascunque amoris responsiones instar nihili esse ad imensam illius magnitudinem.

II. Et tamen neque hîc substitit inexpléta DEI charitas: sed inæstimabili huic beneficio mortis à se obitæ, quò supernaturalem nobis

vitam restitueret, tria superaddidit corollaria perquam magni ad augendum illius fructum, & pretium momenti. Primum est, quòd suum sanguinem noluerit valere ad obtinendam nobis hæreditarii duntaxat criminis veniam, aut primi etiam solummodo, quod nos deinde adulti personaliter commissemus: imò neque certum horum numerum, putà denum, centenum, aut millenum definierit, quem prætergressis nullus ultra sperandæ pietatis, veniæque esset locus. Sed clementiæ tribunal erexerit, in quo plenissimam assequi condonationem possemus omnium, quotquot patratæ à nobis essent, culparum: certissima promissione addita, nemini se negaturum improbitatis suæ veniam, qui resipiscens hanc ab eo petat: quamvis cæteroqui toto vitæ suæ tempore extrema quævis facinora continenter patrare perrexisset. Quæ clementia, quemadmodum admiratione Cælites, sic rabie, invidiaque tartareos spiritus replet indociles tolerandi, quòd communis Dominus nè unam quidem noxam sibi condonârit, sed vix mente conceptam æterna ultione punierit: hominum verò, licèt tantò inferiorum naturâ, peculiarem adeò rationem habeat: nunquam desinens quibuslibet eorum malefactis ignosce-

re,

re, & post pluries centenas, millenásque offensas eos in gratiã recipere: adeò ut in justificatione multò videatur magis humanam naturam Angelicæ prætulisse; quàm in creatione eidem posthabuerit: cùm in hac quidem hominem *minuerit paulò minùs ab Angelis*; in ea verò tantò plùs amaverit, quantò pluries veniã, & vitã illum donat. At, si perduelles ii spiritus disrumpuntur invidiã, ob tantam hanc in nostris dimittendis criminibus DEI lenitatem; quanti eandem à nobis æstimari, quantãque pro ea illi gratias haberi par est? Certè hæc lenitas singularis prorsus, & sinè exemplo est, utpote nunquam visa, nedum in ullo Principe erga sibi subjectos, sed, neque in ullo parente erga filios. Cùm his ipsis quinas, aut denas graves offensas condonare summæ mansuetudinis specimen videatur: sique undecimam ii adjiciant, ulteriori gratia indigni habeantur, nec nisi de justa in eos animadversione cogitetur. Imò tam perspicua hujus rei veritas est, ut, si post primi parentis reatum, omnes illius posteros in unum DEUS convocasset, ac professus ibi esset, velle se illis remittere tũ primam illam culpam communem, tum aliquem etiam cæterarum numerum, quas ab iis per humanam seu fragili-

tatem, seu malitiam patrari contingeret, & numerum sanè, quem ipsimet definirent, neminem ex omnibus credibile sit, futurum fuisse, qui omnes, quotquot vel à se, vel ab aliis patrarentur, sinè ulla determinatione condonandas censeret: sed unumquemque potius exiguam aliquam, hunc decem, alium viginti, &, qui audacissimus esset, centum criminum summam pro veniæ materia finitum fuisse, tanquam munus, quo peti, aut sperari majus nequiret. Quid plura? talis, adeoque summa illius mansuetudo est, ut, si solis perpendatur humanæ prudentiæ momentis, inconsulta, justoque major, & à providi regiminis rationibus aliena possit videri: utpote ex qua occasionem plurimi capiunt, tantò liberius atrocissima quæque committendi facinora, quantò certiùs sciunt, eorum omnium impetraturos se veniam. Quapropter necesse est, ut hic quoque, ceu in pluribus aliis nostram ratiocinationem effugientibus divinæ providentiæ consiliis cum Gentium Doctore exclamemus: (*Ad Rom. II.*) *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ DEI! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* adorantes pro rectissimo hoc illius tam misericors regimen, quamvis imbecilla nostræ mentis

tis acies ejusdem cum perfecta æquitate convenientiam non satis perspiciat.

12. Secundum corollarium est, quod, cum posset suo quidem sanguine pro nostris criminibus satisfacere, sed simul exigere, ut nos quoque hujus suæ satisfactionis consortes essemus; ita ut unusquisque pro consequenda suorum scelerum venia tantum cruciatum subiret, quantum ipse ad eam omnibus promerendam subiit; neque hoc qualicumque rigore benignitatem suam temperare voluit: sed ipse solus, qui Creditor, offensusque erat, totam debitæ satisfactionis asperitatem perferre: nihil porro ab hominibus, qui debitores & rei sunt, pro virili eorum parte exigens, nisi ut de admissis criminibus suo coram ministro dolenter se accusent, quodque ille decreverit, moderatæ, ac salutaris pœnæ suscipiant: & quodcumque id tam exiguum præstiterint, ea illis omnia, quantumcumque multa sint, atque immania extemplo remittit, vitam ita, & salutem nihili, ut sic loquar, pretio à benignitate illius consequentibus, juxta illud Davidis hemistichium, *Pro nihilo salvos facies illos.* (Ps. 55.) O nos fortunatos, quorum culpæ ea ipsa de causa facilius veniam nanciscuntur, ex qua atrocius merentur supplicium,
quia

quia nimirum non hominem offendunt, sed DEUM: cùm infinita excelsissimi illius Principis dignitas, quantò graviolem facit nostram in eo offendendo malitiam, tantò eum placabiliorem suis offensoribus reddat: ceu ipsemet palàm professus est iis Osæ verbis, (c. II.) *Non faciam furorem iræ meæ, quoniam DEUS ego, & non homo.* Si vel unico gravi scelere læsa à nobis fuisset terreni alicujus Regis majestas; quot pœnitentiæ significationibus, quibusque potentium patronorum officiis, ac precibus opus foret, ut illius tandem gratia reis fieret? At verò, quantumcunque sint gravia, quantumcunque multa, & propè innumera, quibus summum cæli Regem irritavimus, crimina; si unico tamen, & quidem brevissimo perfecti doloris actu ea detestemur, tantillum hoc satis est, ut eadem ille statim remittat: nec unquam contingit, reum hominem cum intimo pœnitentiæ sensu edere hanc vocem, *Peccavi*, quàm illico audiat, (Vide L. I. Reg. c. 12.) *Dominus quoque transtulit peccatum tuum à te. Non morieris.* O placabilitatem, & clementiam! cui par nusquam alibi extitit, aut potest existere.

13. Subit postremò, quasi tertium corollarium, omnimoda pœnitentis animæ in priorem

orem gratiæ locum restitutio : singulare ipsa quoque benignitatis specimen , inque Regum terrenorum aulis ignotum. Hi siquidem, ubi perduellium , ac proditorum alicui debitas facinori suo pœnas condonant ; hoc uno supremas clementiæ attigisse sibi metas videntur : neque reum ideo in omnes etiam , quos prius obtinuerat , dignitatis gradus reponunt : præsertim si antea intimus familiaris , primarius regni administer , aut filius adoptivus fuisset. Unde & David , quamvis indulgentissimo cæteroqui in Absolonem filium animo esset , eique Amnonis fratris cædem ignovisset ; non tamen reum tanti facinoris passus est sibi adesse : permittens quidem ab exilio reverti , sed venire in conspectum suum vetans. (L. 2. Reg. c. 14.) *Revertatur in domum suam , & faciem meam non videat* : nec nisi post biennium , validissimisque adhibitas obsecrationum machinas victus est ; ut hanc beneficii , & redintegratæ penitus gratiæ exceptionem de medio tolleret. At DEUS , quodcumque impius resipiscit , non modò eum sempiternæ mortis reatu absolvit ; sed juxta sacrarum Literarum testificationem , (Vide Isai. 44. Mich. 7.) *Delet ut nubem iniquitates ejus : & projicit in profundum maris omnia peccata ejus* : nullum scilicet

cet furoris, odiique vestigium superesse in suo animo patitur: eodem illum, quo prius amico vultu intuetur; imò impensius etiam, quàm antea, amare ibi denuo incipit: reponens confestim cum incremento amplioris gratiæ in pristina amici, filii, & hæredis jura: tamque amanter exinde cum eo agens, quàm si vel nunquam offensus ab eo esset, vel omnem illius injuriarum memoriam sempiterna oblivione abolevisset. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. (Ezech. 18.)*

14. Quid porrò dicemus de sollicitis adèò, & amantibus curis, quas præfert, nè nos respiciamus hæc tanti pretii munera, quæ per infinitam suam bonitatem nobis paravit? Poterat ille quidem cuivis reorum hominum præteritæ improbitatis veniam, reditum in suam gratiam, pristinumque cælestis suæ hæreditatis consequendæ jus offerre, palàm edicens, beneficia hujusmodi certissima fide se omnibus largiturum, qui ea velint accipere: unaque hac promissione incomparabilis munificentiæ specimen præbuisset. Sed non his finibus contineri se passa est inexplebilis illius charitas: neque post oblatam, promissamque nobis tam inæstimabilem possessionem omnem

mnem bonorum curam, & cogitationem deponit, admissurine nos, an repudiaturi illa essemus? imò, quò iis potiri velimus, tot artes depromit, studiosèque laborat, ut, qui nesciret, quàm nihil à creatis quibusvis rebus perfectissima, & ad omnimodam beatitudinem sibi una sufficiens natura illius pendeat, cogitare posset, magni aliquid eam lucri in donanda suis servis perduellibus venia, inque iis sibi reconciliandis acquirere. Certè equidem, si eorum amicitia maximopere egeret, quidnam, cedo, posset amplius ad obtinendam eam facere, quàm fecerit, assiduèque faciat? Quot veluti epistolas amantissimis exhortationibus, querelis, precibus, minis refertas, per Isaiam, Jeremiam, Ezechielem, aliòsque sacros Vates, peccantibus scripsit, ut eos à vecordi suæ clementiæ neglectu ad saniores illà utendi voluntatem traduceret? *Convertimini, convertimini à viis vestris pessimis. Et quare moriemini, domus Israël? Revertimini, & vivite.* (Ezech. 18. & 33.) Quot divini Verbi præcones, suos quasi Legatos, continenter summittit, ut de amicitia invicem redintegrandam cum iis agant, perinde quasi prior ipse hanc dissolvisset? *Pro Christo legatione fungimur, tanquam DEO exhortante per nos. Obsecramus vos*
pro

pro Christo: Reconciliamini DEO. (2. ad Cor. c. 5.) Quàm assiduè obdurata, & præclusa eorum pectora suis pulsare arcanis vocibus pergit, nullum non adhibens rationum, illecebrarum, terrorum, similiúmque machinarum genus, ut sibi aliquando cordis fores aperiant, quàmque secum affert, vitam, & salutem recipiant? O quàm bonus, & suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus? Ideoque eos, qui exerrant, admones, & alloqueris, ut relictâ malitiâ credant in te, Domine. (Sap. 12.) Imò, quamvis ii aversa, & pervicaci voluntate salutaria inculcantem fastidiant, aspernentur, procul à se abigant, & res suas sibi habere jubeant; non propterea illorum curam omittit: neque, seu tot repulsis abalienatus, seu tædio irriti laboris victus, ab instando, monendoque desistit: sed tanquam majestatis suæ immemor, surdos, refractarios, séque fugitantes infatigabili sedulitate, & patientia persequitur. *Quid? quòd* (verba sunt Dionysii Areopagitæ) à se deficientes amore prosequitur, ac rogat, nè dedignentur amores. *Quin* & deliciosos, & frustra provocatos sustinet, atque ipsemet excusat, eoque magis se recipit illos curaturum. (Epist. 1.) Proh DEUM immortalem! quodnam hoc spectaculi est prorsus novi, & penè incredibilis genus?

nus? Ille est Dominus, nos servi: ille offensus, nos, qui offendimus: ille Judex, nos rei: ille nullatenus nostri indigus, nos ad omnia illius egentissimi. Quisnam ergo, altercantes invicem spectans, Dominum, & servum, qui offensus est, quique offendit, Judicem, & reum, opulentum, atque inopem; aliam suspicaretur esse illorum altercationis materiam, nisi, quod posteriores aliquid à prioribus beneficii flagitent; illi verò id concedere abnuant? & tamen contrarium omnino hic contingit: neque alia DEO, & hominibus inter se contendendi causa est, nisi, quod ille pro servis amicos, filiosque habere nos vellet; nos huic tam benignæ illius voluntati repugnemus: quod ille veniam, absolutionemque nobis offerat, nos oblatam ingrati respuimus: quod ille ad cælestis sui regni hæreditatem nos invitet, nos illius invitationem aspernemur: infumma, quod paternus illius amor nostram pervicaciam expugnare nititur, *instans opportune, importune arguens, obsecrans, increpans*, nullisque non argumentis nos urgens, ut criminum nostrorum condonationem admittere, ut vindicem illius justitiam placare; ut deum à perpetuæ mortis reatu vindicari, æternumque esse incolumes, ac beati velimus.

Ccc

Cu

Cujus benignissimi sui propositi si compos de-
 mum fiat, & impiorum aliquis, diu frustra op-
 pugnat, aliquando det manus, adque reci-
 pienda illius munera patitur se induci; quis
 referat, quantum de hujusmodi victoria ge-
 stiat, sibi plaudat, triumphet? Licet id ali-
 quatenus cernere in imagine ab eo ipso exhi-
 bita amantis, providique pastoris: qui, ubi a-
 liquam dilectarum ovium, à reliquo procul
 grege evagantem, miseréque in desertis locis
 perituram invenerit, tanquam si major sua
 ibi, quàm illius utilitas foret, *convocat amicos,*
& vicinos, dicens illis, congratulamini mihi, quia
inveni ovem meam, quæ perierat. (Luc. 15.) E-
 jusmodi nimirum ipse etiam, quin multò ad-
 huc vividiore amoris sensu, si quando ei suc-
 cesserit, perditorum hominum quempiam ex
 deviis errorum anfractibus ad tuta ovilis sui
 præsepia reducere: *Omnes Angelos convocat ad*
congratulandum non homini, sed sibi: quasi homo
(ità D. Thomas) DEI DEUS esset, & tota sa-
lus divina in ipsius inventione dependeret: & quasi
sinè ipso beatus esse non posset. (Opusc. 63. c. 7.)
 Quidquàmne huic bonitati, & misericordiæ
 cogitari par potest? Nihil profectò: ubique
 omnem aliam excedit, sive longitudo, sive la-
 titudo, sive altitudo, sive profunditas atten-
 datur, omni ex parte in infinitum porrigitur.

15. Reliquum tantummodo est, ut, quando secundum prædictas quatuor dimensiones admirati, quoad licuit, eam sumus, ad pleniorum ipsius æstimationem animo concipiendam, perpendamus tantisper, à quo, & quibus fuerit exhibita. Animadvertendum itaque primò est, commemorata hæctenus dona, quæ secundum propriam, intimamque suam vim omne pretium exuperant, nequaquam profecta in nos esse ab homine ejusdem, cuius ipsi sumus, naturæ: sed à DEO, infinitæ dignitatis, potentiæ, & magnitudinis principè, æterno, incomprehensibili, immenso, perfectissimo, beatissimo, nullius indigo, causa omnium causarum, Rege omnium Regum, omnium Dominorum Domino, in summa tantæ excellentiæ, ut omnis tam creatarum, quàm creabilium rerum universitas coram eo instar atomi sit, vixque secernatur à nihilo. Animadvertatur, inquam, hæc eorum appendix, & mox indè argumentum ducatur, an non supra omnem æstimationem, & admirationem sit, quòd tantus Dominus eò usque in nobis amandis processerit. *Ecce Domini DEI tui* (attonitus in simili consideratione ajebat Israëlitis Moyses) *Ecce Domini DEI tui calum est, & calum cæli, & terra, & omnia quæ in ea sunt;*

sunt; & tamen patribus tuis conglutinator est Dominus, & amavit eos. (Deut. c. 10.) Significationes amoris tantò semper æstimari amplius merentur, quantò est major eas edentis præstantia: tum quia, ut scribit Ovidius: (Lib. 4. de Ponto.) beneficientis dignitas in quæcunque illius beneficia derivatur: *Et majestatem res data dantis habet*; tum quia rari admodum exempli est: virum eminentis fortunæ omni fastu exutum in æquum descendere, hominem præferre, nec ab inferiorum amicitia, & convictu abhorrere: *Adeò ut, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis videatur.* (Cic. pro Leg. Manil. de Pomp.) Quare eadem munera, pro impari authorum conditione, jam pluris, jam minoris fiunt: & illa familiaris benevolentia specimina (putà capitis amicam inclinationem, vel amplexum, vel præsentationem manuum) quæ nihili pendere-mus, quando à vulgari homine nobis exhiberentur; nemo est, quin maximo habeat in pretio, si fortè à potentissimo quopiam Rege dignatus iis fuerit. Usque adeò verum est Plinii dictum: (L. 6. Ep. 24.) *Multum interesse, quid à quòq; fiat. Eadem enim facta charitate, vel obscuritate facientium, aut tolluntur altissime, aut humillime deprimuntur.* Si ergo finita, &
ex.

externa potentis alicujus viri sublimitas tantam vim habet ad geminandum beneficiorum pretium: quantò majorem habere dicenda est infinita, & naturalis DEI magnitudo, ex qua derivatur, cujusque non nisi tenuis quædam umbra est terrenorum Regum potentia, & majestas? Tantam certè habet, ut, etsi nihil aliud cupiam ex nobis præstaret, nisi quòd dignaretur; licèt brevissimo tempore, de eo cogitare, vel eundem ex altissimo suo folio benignè intueri, unum id satis foret ad mundum universum sui admiratione complendū: quique tali favore decoratus fuisset, deberet summi eum beneficii loco ducere, æternam illius memoriam, & gratiam retinere, nec ullum finē facere repetendi intrà se admirandus, & gestiens: Altissimus universitatis totius Rex ad horæ quadrantem de me cogitavit, amico intuitu dignatus me est, mei causam se gerere ostendit. Quosnam ergo esse convenit animorum nostrorum sensus, cùm noverimus, tantæ magnitudinis Dominum assiduè de nobis cogitare, rerumque nostrarum perpetem curam gerere, & fecisse nostri gratiâ, quæ neque amicus pro amico, aut pater pro filio unquam fecisset? si charitatis, beneficentiæque ipsius monumenta tanti sunt ponderis,

ut à proletario , & plebeio homuncione edita
 fati æstimari nequirent; quanti, rogo, faci-
 enda nunc sunt, quando interiori, proprio-
 que eorum pretio illud etiam accedit, quod
 ab authore suo trahunt: Authore nimirum
 infinitæ majestatis, ut quodcunque illius eti-
 am minimum munusculum suapte naturâ,
 quia ab illo profectum, summa sit in æstimati-
 one habendum? si magnæ admirationis res
 esset, quod mancipium nostrum talia ex nostri
 amore voluisset facere, & pati; quidni supra
 omnem admirationem sit, quod eadem facere,
 & pati voluerit maximus rerum omnium Cre-
 ator, & Dominus: coram quo *pavet calum,*
tremunt Angeli, creatura non sustinet? (*Chrysol.*
serm. 140.) Tobias junior, recolens animo
 beneficia ab Archangelo Raphaële, hominis
 speciem, & Azariæ nomen præferente, in Ra-
 geni suo itinere accepta, usque adeo se pro-
 pterea obligatum ei credidit, ut professus co-
 ram eo sit, (*Tob. c. 9 & 12.*) *Azaria frater,*
si me ipsum tradam tibi servum, non ero condignus
providentiæ tuæ: cùmque postea tam ipse, quam
pater ejus cognovissent, Azariam illum, qui
fidelem adeò rerum suarum curam gesserat,
nequaquam esse hominem, sed unum ex se-
ptem spiritibus, qui in cælo DEI solium cir-
cum-

cumstant; tanto stupore correpti sunt ob natam sibi à nobilissimo illo spiritu operam, ut trementes ceciderint super terram in faciem suam, & prostrati per horas tres benedixerint DEUM. Quidnam igitur sentiendum, & dicendum est nobis, qui beneficia accepimus longissimè iis superiora, pro quibus impar gratiæ redditio videbatur Tobiaë, si eorum Authori in servitutem se traderet: eaque non ab homine quopiam, vel Angelo, sed ab ipso Angelorum, hominúmque Domino accepimus? Metiatur, qui potest, beneficia, bis immensa: immensa primò secundùm magnitudinem boni, quod sunt; & immensa iterum secundùm majestatem Authoris, à quo sunt.

16. Adde huc, quòd infinita DEI magnitudo alio itèr nomine munerum suorum pretium congeminat. Omne siquidem donum tantò majoris pretii est, quantò ex magis gratuito, & liberali affectu proficiscitur; neque hic magis esse liberalis, & gratuitus potest, quàm cum faciens beneficium, nullius capax recipiendi ex eo lucri est. At quis alius hujusmodi est, præter DEUM? Nimirum cæteri omnes, veluti nihil ullo in genere habent boni, quod finitum non sit, novisque ideo incrementis augeri queat; ità in bene meren-

do de aliis proprium quoque aliquod bonum vel appetunt, vel, si non appetant, per hunc ipsum sui lucri generosum contemptum, qui major, atque intima eorum perfectio est, consequuntur. DEUS verò unus ex omnibus, quemadmodum infinitam cujuslibet boni opulentiam necessariò, & immutabiliter possidet, neque novi quidpiam proventus acquirere, meliòrque, & ditior fieri unquam potest, sed sive mundum creet, sive in nihilo deserat, sive liberalis, sive parcus sit in donando, semper æqualiter, quia semper infinite bonus, beatus, & locuples est; sic nihil ulterioris bonitatis, & beatitudinis habet, quod in beneficiendo vel quærat, vel consequatur. Quamobrem illius erga nos amor generis est à quibuslibet aliis prorsus diversi, adeoque iis omnibus excellentior, ut Rex amorum mereatur vocari. Cùm amores creati nullamquam Platonis judicio parentem habeant, (*In Conv.*) quàm paupertatem, alicujus nempe indigentiam, & privationem boni; ipse verò ex parente nimium quàm dissimili, totius scilicet boni plenitudine, ac redundantia nascatur.

17. Quid porrò, si contemplari ulterius pergamus, quinam ii sint, quos tantæ majestatis.

statis Dominus adeò adamandos putavit? Quantum etiam ibi novæ admirabilitatis occurreret: quàmque etiam hoc nomine singularis, à quibuslibet aliis discrepans, & usquequaque prodigiosus illius amor videbitur? Quos enim tam effusâ charitate, & beneficentia complexus est? Nos sumus, in quibus, priusquam ab illo amaremur, utpote quovis esse tunc carentibus, nè atomus quidem bonitatis, nihilque adeò dignum amore erat: quique, si in præsens aliquid boni præferimus, non aliud tandem hoc est, nisi illius amoris effectus, quo dignatus ipse est nostrum nihilum prosequi. Quid ergo? nõne hæc amandî ratio præter omnem humani ingenii consuetudinem est, inque terris penitus nova, & solius DEI propria? ita sanè; homines siquidem ideo duntaxat amore in quempiam feruntur, quòd aliqua boni species ibi apparens eos ad se rapit; quàm si in objecto illo non cernerent, nullo pacto amare illud possent. At verò, ut DEUS amare aliquid extra se incipiat ratione boni in eo visi, tam omnino impossibile est, quàm fieri nullo pacto potest, ut quidquam boni extra se videat, quod à prævio suo amore productum non sit. Nos itaque amamus objecta, neutiquam à nostra, sed ab eorum

bonitate impulsi ; DEUS verò nos amavit, non quia bonos videret, sed quia bonus erat. ac proinde amor noster erga alios non ex nostra duntaxat voluntate oritur, sed effectus quoque est boni, quod in iis spectandum se obtulit: at DEI erga nos amor ex eo unice prodiit, & causa totius boni fuit, quod in nobis mox exitit. Neque id à Platone ignoratum, aut parùm dilucidè expressum in Timæo est: ubi, hac quæstione proposita: *Quam ob causam ille rerum Author universum constituit?* duobus hisce verbis eam solvit: *Bonus erat.* Quasi dicat: in promptu est, quod quæritur. Quid summo Authori creandæ rerum universitatis causam præbuerit, nusquam alibi possumus, quàm in eo ipso invenire. Nativa sua bonitas una ipsum impulit, ut amaret, quidquid amavit, ut vellet, quidquid voluit, ut faceret, quidquid fecit. *Bonus erat:* O amorem prodigiosissimum, non intentionis duntaxat, & magnitudinis, sed etiam unius existentia, ac possibilitatis suæ causâ! Nihil certè opus est ad stuporem intueri, quàm impensè, ardentèrque DEUS nos amaverit. Ingens plùs nimio miraculum, omniumque animis suavitatem obstupefaciendis par est, quòd ille seu nos, seu quidquam extra se quomodocunque ama-

amare potuerit. Cùm enim amor affectus sit, ut Dionysii Areopagitæ verbo utar, *ecstaticus*, (*De Div. Nom. c. 4.*) cujus vi amans extra se quodammodo exit à bono aliquo raptus, quod ipsi sese alibi objicit; quisnã, rogo, in animum induisset, fieri unquam posse, ut DEUS optimus maximus possibilium quorumvis bonorum summam intrà se continens, extra se per amorem prodiret, non utique erga aliquod bonum, (nullum siquidem extra ipsum erat) sed erga nudum, ac merissimum nihil? Nisi quòd, ut externa nos bonitas ad amplexum sui trahit, sic sua illum ad impertiendum se nihilo impulerit. *Audendum est hoc etiam* (citatus paulò antè Areopagites scribit) *pro veritate dicere, quòd vel ipsemet omnium Author propter excellentiam summam amatoria bonitatis extra se per providentias rerum omnium existit: & cum sit supra omnia, ad omnia demittitur secundum potestatem suprasubstantialem, qua extra se non egrediendo exit.* (*De Div. Nom. c. 4.*) Unde sequitur tandem, res à nobis amatas, cùm per suam bonitatem ad se amandas nos rapiant; non nobis duntaxat, sed & propriæ bonitati nostrum sui amorem debere: nos verò debitores uni DEO esse amoris, quo amplecti nos cæpit: utpote cujus
nul-

nullas, nisi ex se ipso, & ex mera sua bonitate causas habuerit.

18. Et tamen parùm esset, nihil nos ante creationem boni habuisse, quoad concipiendum nostri amorem, incitari DEUS posset, nisi præterea causas illi præbuissemus abhorrendi à nobis, tanquam ab iis, quos optimè tunc prævidebat, sibi ingratos, & perduelles futuros. Si enim magni instar prodigii existimari deberet, amatos ab ipso nos esse, quamvis nihil præferremus boni, & amabilis; quidni multò majus videatur prodigium id evenisse, cum tam multa in nobis foeda, & odium provocantia apparerent? Et, si ad utriusque prodigii admirabilitatem sufficeret, quantumcunque nostri amorem ab eo conceptum fuisse; quantam vim habere intendendæ admirationis debet, quòd perionas, in quibus nihil ipsi occurrebat, nisi abominatione dignum, amore persecutus fuerit, quantò nullum unquam excellentissimum bonum creatum, imò quantò neque ipsemet, summum licèt, infinitæque amabilitatis bonum, dilectus ab hominibus fuerit? Novi quidem Assuerum, centum & viginti septem provinciarum Regem, elegisse in sponfam suam Esther, puellam tenuis fortunæ, & Mardochei servi sui

fi.

filiam. Sed nihil admirandum ibi invenio: cum ad hanc electionem impulsus fuerit ab eximia virginis illius pulchritudine, prærogativa nimirum, quæ satis constat, quantam vim habeat ad subjiciendos sibi vel potentissimorum Principum animos. Illud sanè in summam admirationem me raperet, si Assue- rus, vel quis alter par illi Regnator in thalami, & regni sociam adscivisset, nedum servilis fortunæ, & obscuri generis fæminam, sed nulla etiam naturali dote conspicuam, quin è contrario summâ quâ corporis, quâ animi deformitate notatam, abnormi facie, exanguicolore, compressis naribus, distillantibus perpetua lippitudine oculis, gibbosam, distortam, graveolentem, fœdis ulceribus toto corpore oblitam, ultrâque linguâ hæsitantem, voce absonam, inconditis moribus, agresti indole, mentis sensu hebetem, fatuam, insulsam, merum stuporem, ejusmodi denique, ut nemo vel sanguine conjunctorum absque nausea, & fastidio cum ea conversari sustineret: & hoc mulieris monstrum in deliciis haberet, assiduè in oculis gestaret, nunquam divelli à latere suo pateretur, iisque amoris significationibus foveret, quæ vel supra cujusvis Helenæ meritum forent. Hæc, inquam, extrema mihi

viderentur, atque incredibilia amoris profusus novi, naturæque ab ingenio quàm longifimè abhorrentis miracula: quæ si aliquando inter homines edi contingeret, umbra quædam, & rudis imago essent prodigiosissimæ illius charitatis, quam supremus mundi Imperator ab æterno concepit, & retinere adhuc perguit erga nos sua nullius bonæ frugis mancipia, & omni omnino amore indignissima. Ità sanè: *Commendat charitatem suam DEUS in nobis: quia, cùm adhuc peccatores essemus secundum tempus; Christus pro nobis mortuus est.* (Ad Rom. 5.) En paucis expressam ab Apostolo tum majestatem ejus, qui amavit, tum indignitatem eorum, quos amavit, tum ultimam lineam, ad quam usque in iis amandis processit: triadem miraculorum, à D. Bernardo adhuc brevius collectam iis verbis: *Dilexit tantus, tantum, tantillos, & tales.* (De Dilig. DEO.)

19. Ubinam igitur nostrorum animorum sunt sensus, quàmque aliam expectant, ubi digniùs occupentur, materiam? Adsint, eja, adsint omnes, in hæc sese totos demersuri tam extraordinariæ admirabilitatis profunda, inter hæc penitus deflagraturi tam imensæ charitatis incendia. *Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus: qui pro-*
pi-

pietur omnibus iniquitatibus tuis; qui sanat omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia, & misericordibus: qui replet in bonis desiderium tuum. (Ps. 102.) O summè amans, & misericors DEUS! cuius misericordie non est numerus; & bonitatis infinitus est thesaurus: imò non solum amans, sed totus omnino amor, qualem dilectus te discipulus tuus appellavit, dum scriberet: (Ep. 1. c. 4.) DEUS charitas est: neque solum misericors, & Pater misericordiarum; sed ipsamet misericordia, adeò ut cum Psalte possim tibi dicere: (Ps. 58.) DEUS meus misericordia mea: & quid tandem aspiciendum in me tibi se obtulit pulchri, quòdque vel simplici obtutu, nedum amore tam eximio dignum putares; si nihil ibi erat, præter meram abjectionem, deformitatem, miseriam? Quis ego sum servus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum, similem mei? (L. 2. Reg. c. 9.) Ah nullum meum meritum, sed sola te tua bonitas impulit, ut oculos in me conjiceres, meumque nihil diligendum, ac tuis donis cumulandum susciperes. Quamobrem, ceu ex illa una incitamentum, & modum amor tuus sumpsit; sic ultra omnem modum, ac finem processit: edens in mei gratiam prodigia tam multa, & tam

tam

tam mira; ut, qui vel singulorum præstantiam non nisi obscurissimè intelligo, in universis simul considerandis omni penè intelligentiâ desituar: quantòque plura sunt, & majora; tantò magis nimia eorum admirabilitate hebetari, & confundi mihi animum sentiam. Quamnam igitur benignitati tuæ possim dignam vicem mutui amoris rependere; cum neque illi cognoscendæ, & admirandæ partem? nulla certè mihi ratio, nulla spes, & facultas in me ipso est: nec quidquam proinde ad qualemcunque debiti officii solutionem reliqui habeo, nisi ut saltèm profitear, tuam erga me munificentiam immenso esse intervallo, meâ omni non operum modò, sed vel affectuum responsione majorem: teque simul Domine obsecrem, ut pro reliqua tua benignitate hujus quoque obligationis meæ onus in te recipias: & quemadmodum olim tui sanguinis pretio eam tuæ divinæ justitiæ condignam satisfactionem pro criminibus meis reddidisti, cujus ego debitor, sed solvendæ impotens eram; ita nunc perfectissimis tuis gratiarum, & amoris actibus, eam infinitæ bonitati tuæ æquam remunerationem exhibeas, quam ego eidem pro immensis ab ea acceptis muneribus debeo, nec ullis præstare imbecillitatis meæ conatibus valeo.